SACRA RITVVM

CONGREGATIONE

Em̃o, & Rm̃o D. Card.

ALBANO

Vrbis, & Orbis.

REPOSITIONIS NOMINIS

S. IOSEPH

In Litanijs Maioribus.

Diſcurſus

R. P. D. FIDEI PROMOTORIS.

ROMÆ, MDCCXIV.

Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Vrbis, & Orbis

REPOSITIONIS
NOMINIS
S. JOSEPH
IN LITANIIS MAIORIBVS.

Eme, & Rme Dne.

1. IN Congregatione Sacrorum Rituum habita die 3. Februarij huius anni 1714. approbatum fuit pro Eccleſia Vniuerſali Officium proprium Sancti Ioſeph, in quo præter Hymnos, & Lectiones ſecundi Nocturni iàm in Breuiario Romano exiſtentes, ſuperadditæ fuerunt Lectiones primi Nocturni, Capitula, Antiphonæ, & Reſponſoria ex nouo potiſſimùm Teſtamento deprompta, itaùt adimpletum fuerit deſideriū Caroli Guyetti Viri docti, eruditi, & pij, qui in ſuo celebri tractatu de feſtis proprijs *lib.3.cap.16.qu.5.* ità ſcriptum reliquit = *Miratus ſum ſæpè ſæpius, cum tàm multa ſuppetant ex Euangelio, vndè Officium proprium de Sancto Ioſeph Sponſo Beatiſſimæ Virginis texi facilè potuiſſet, cur non ſaltèm Antiphonæ aliquæ, aliquaue Reſponſoria deprompta fuerint, non Hymni proprij inducti, æquè ac de Sancta Magdalena, hocce præſertim tàm pio, tamque erudito ſæculo, quo excitata eſt, quæ priùs iacebat erga hunc Sanctum, commendataque plurimum deuotio.*

2. Exhibitus ſubindè fuit ſupplex libellus plurimorum, qui pio mentis affectu Sanctum Ioſeph proſequentes, enixè poſtulabant, vt Sedis Apoſtolicæ auctoritate fas eſſet illius Nomen in Litanijs Eccleſiæ maioribus reponere; Nèc enim hæc, & ſimilia licitè peragi poſſunt abſque Summi Pontificis aſſenſu, quemadmodum latè probant Scacc. *de not. & ſign. Sanctit. ſect.10.cap.3.pag.783.*, Mact. *in notit. vocabul. Eccleſ. verbo Litania in fine*, qui conſimilium inſtantiarum examen remittere conſueuit ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem,

iuxtà *Bullam* 122.*Clementis VIII. Bull.tom.3. in Appendic.* reſeruato
ſibi ſupremo de illis iudicio. Cumque Sacra hæc Congregatio, vt
moris eſt, reſponderit, quod audiretur Fidei Promotor, mandatis, ea,
qua decet reuerentia, morem gero, & vt omnis de medio tollatur
confuſio, præſens Diſcurſus in duas partes diuidetur, in
quarum prima tractabitur, an nomen S. Ioſeph ſit reponendum in Li-
tanijs maioribus; & in ſecunda, quatenùs Nomen apponendum ſit,
exponetur quo in loco ſit recenſendum.

PARS PRIMA.

In qua tractatur, an Nomen S. Ioſeph ſit reponendum in Litanijs maioribus.

3. NVlla penès me eſt difficultas, quin Nomen S. Ioſeph reponatur
in Litanijs maioribus; pretermiſſis enim illis excellentiſſimis
prerogatiuis, quæ à pleriſque Auctoribus Sancto Ioſeph attribuuntur,
qualis eſt illa, quod fuerit in vtero ſanctificatus, veluti poſt Ioannem
Gerſonem in Sermone de Natiuitate Virginis habito in Concilio Con-
ſtantienſi, plerique Theologi docuerunt, quos latè cumulat, & ſe-
quitur Petrus Morales *in cap. primum Matthæi lib. 3. tract. 2. num.* 13.
& qualis paritèr eſt alia, quod idem Sanctus Ioſeph corpore, & ani-
ma Cœlos aſcenderit, & propè Chriſtum Dominum, poſt Beatiſſimam
Virginem Mariam in ſublimi gloriæ Throno fuerit collocatus, iuxtà
ea, quæ habentur apud S. Bernardinum Senenſem *tom. 3. art. 2. cap. 1.
& 2. pag. 473. col. 1. & 2.* ibi = *Piè quidem credendum eſt, quod pijſſi-
mus Filius Dei Ieſus pari priuilegio decorauit ſuum putatiuum Patrem,
ſicut ſuam Sanctiſſimam Matrem, vt ſicut illam aſſumpſit in Cœlum in
Corpore, & Anima glorioſam, ſic etiam in die Reſurrectionis ſuæ San-
ctiſſimum Ioſeph in gloria Reſurrectionis ſecum, vt ſicut illa Sancta
Familia, ſcilicèt Chriſtus, Virgo, & Ioſeph in laborioſa vita, & amo-
roſa gratia ſimùl vixerunt in Terris, ſic in amoroſa gloria nunc, &
Corpore, & Anima regnent in Cœlis, iuxtà regulam* Apoſtoli 2. *ad Co-
rint.* 1. = *ſicut Socij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis*, quam
aſſertionem non improbabilem exiſtimat Eximius Doctor Franciſcus
Suarez *in 3. partem Diui Thomæ tom. 2. diſput. 8. ſect. 2. in fine* = *Illud
verò aduertere non prætermittam ex quadam ſatis recepta ſententia
probabile fieri, Sanctum hunc Corpore, & Anima glorioſo cum Chriſto
regnare, quia cum ante Chriſtum mortuus fuerit, veriſimile eſt fuiſſe
vnum ex illis, qui tempore mortis, vel Reſurrectionis Chriſti ſurrexe-
runt,*

runt, quos multi ſentiunt ad immortalem vitam Animæ, & Corporis tranſiiſſe.

4. Quandoquidem hæc, & ſimilia firmum, & ſtabile non habent in Sacra Theologia fundamentum, cum ſanctificatio in vtero tutò tantummodò aſſeri poſſit de Beatiſſima Virgine, de Hieremia iuxtà illud *antequam exires de vulua ſanctificaui te*, & de Sancto Ioanne Baptiſta iuxtà illud= *Spiritu Sancto replebitur, adhùc ex vtero Matris ſuæ*, nec videatur ad alios extendenda, de quibus Scriptura non loquitur iuxtà doctrinam Diui Thomæ 3.*par. quæſt.*27 *art.*6. *in corpore*, ibi = *Nec eſt credendum aliquos alios* (præter videlicèt Hieremiam,& Sanctum Ioannem Baptiſtam) *ſanctificatos eſſe in vtero, de quibus Scriptura mentionem non faciat, quia huiuſmodi priuilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus præter legem communem, ordinantur ad vtilitatem aliorum ſecundum illud* 1.*ad Corint.* 12. *vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, quæ nulla proueniret ex Sanctificatione aliquorum in vtero, niſi Eccleſiæ innoteſceret, & quamuis iudiciorum Dei non poſſit ratio aſsignari, quare ſcilicèt huic, & non alij, hoc munus gratiæ conferat, conueniens tamen videtur fuiſſe vtrumque dictorum ſanctificari in vtero ad præfigurandam ſanctificationem per Chriſtum faciendam*; & paulò poſt in reſponſione ad primum= *ad primum ergò dicendum, quod Beata Virgo, quæ fuit à Deo electa in Matrem, ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuit, quam Ioannes Baptiſta, & Hieremias, qui ſunt electi vt ſpeciales Præfiguratores Sanctificationis Chriſti, cuius ſignum eſt, vt Beatæ Virgini præſtitum eſt, vt de cætero non peccaret nèc mortalitèr, nèc venialiter, alijs autem ſanctificatis creditur præſtitum eſſe, vt de cætero mortalitèr non peccarent Diuina eos gratia protegente*, & concordat S.Bernardus *in celebri Epiſtola* 174.ad CanonicosLugdunēſes=*Sed & ortumVirginis didici nihilominùs inEccleſia, & ab Eccleſia indubitantèr habere feſtiuum, atque Sanctum firmiſsimè cum Eccleſia ſentiens in vtero eam accepiſſe, vt Sancta prodiret; & de Hieremia ſiquidem lego, quod priuſquàm de ventre exiret ſanctificatus ſit, & de Ioanne Baptiſta non ſecùs ſentio, qui ex vtero Dominum in vtero ſenſit*. Cumque aſſumptio S.Ioſeph ad Cœlum in Corpore,& Anima dependeat ab illa celeberrima inter Patres, Theologoſque controuerſia, an illi, qui cum Chriſto Domino reſurrexerunt ad immortalem Animæ, & Corporis vitam tranſierint,licet enim de fide ſit, Patres illos reſurrexiſſe ſecundum illud Matth. 27.= *Monumenta aperta ſunt,& multa Corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt*, non eſt tamen concors Sanctorum Interpretum opinio, an illi videlicèt reſurrexerint iterùm morituri, vel potiùs reſurrexerint, ad immortalem,vti diximus Animæ, & Corporis vitam, teſte Diuo Thoma 3.*par.quæſt.*53.*art.*3. *ad* 1. ibi =*Ad ſecundum dicendum, quod de illis, qui reſurrexerunt cum Chriſto, duplex eſt opinio, quidam enim aſſerunt, quod redierunt ad vitam, tamquam non iterùm morituri &c. Auguſtinus autem ſentire videtur, quod reſurrexe-*

rint , iterùm morituri &c. & rationes Auguſtini multo efficaciores vi-dentur .

5. Multa ſunt inconcuſſa , & ex ipſo Euangelij Fonte deprompta, quæ & gratias gratis datas , & gratum facientes Sancti Ioſeph pleniſſimè oſtendunt ; Vtque cætera prætereantur , certum eſt ipſum fuiſſe intemeratum Beatiſſimæ , & Sanctiſſimæ Virginis Sponſum , iuxtà illud Matthæi *cap. 1.* = *Cum eſſet deſponſata Mater eius Maria Ioſeph antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Ioſeph autem Vir eius cum eſſet iuſtus , & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens : Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam Coniugem tuam , quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt . Pariet autem Filium , & vocabis nomen eius Ieſum , ipſe enim ſaluum faciet Populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur , quod dictum eſt à Domino per Prophetam , dicentem : Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpratatum Nobiſcum Deus. Exurgens autem Ioſeph a ſomno , fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini , & accepit Coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum Primogenitum. & vocauit nomen eius Ieſu .* Certum eſt quoque ipſum Sanctum Ioſeph nomen , & exiſtimationem obtinuiſſe Patris Chriſti , adeoque in Euangelio S. Lucæ *cap. 3.* habetur = *& ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta , vt putabatur filius Ioſeph* , & in Euangelio Sancti Matthæi *cap. 13.* = *nonne hic eſt Fabri filius , nonne Mater eius dicitur Maria , & fratres eius Iacobus , & Ioſeph , & Simon , & Iudas* ; & rursùs in citato Euangelio S. Lucæ *cap. 2.* = *Fili , quid feciſti nobis ſic , ecce Pater tuus , & ego dolentes quærebamus te .* Certum eſt pariter Chriſtum Dominum fuiſſe ſubditum S. Ioſeph , quemadmodùm paritèr legitur in eodem Euangelio S. Lucæ *cap. 2.* = *& deſcendit cum eis , & venit Nazareth , & erat ſubditus illis* , non ex debito , ſed ex vſu, iuxtà ea , quæ benè ponderantur per Franciſcum Suarez *in 3 partem Diui Thomæ tom. 2. diſput. 8. ſection. 1.* = *Quanquam hoc magis ſignificet vſum , quam debitum ; quia reuera Chriſtus propter dignitatem ſuæ Perſonæ , nulli hominum propriè ſubiectus fuit , tamen ad dignitatem Ioſeph declarandam , ſatis eſt , quod præcisè conſiderata humana conditione, & origine , Chriſtus futurus erat Iure ſubditus Ioſeph, & quòd licet ratione Diuinitatis eſſet exemptus , tamen de facto voluit illi eſſe ſubiectus , eique tanquam Patri, ac Superiori obedientiam, honoremque deferre .* Certum eſt denique ſæpememoratum S. Ioſeph Iuſtum fuiſſe in Sacro Textu appellatum = *Ioſeph autem Vir eius cum eſſet Iuſtus* , & iuxtà Sacræ Scripturæ phraſim idem eſt iuſtum eſſe, ac omnes poſſidere virtutes , iuxtà illud Lucæ 1. = *erant autem iuſti ambo ante Deum , incedentes in omnibus mandatis , & iuſtificationibus Domini ſine querela* ; adeòque ad rem ſubdit S. Ioannes Chryſoſtomus *Homilia 4. in Matthæum* = *Ioſeph enim Vir eius inquit cum eſſet iuſtus , iuſtum*

bit in omni Virtute dicit eſſe perfectum. Hæc autem omnia ſatis apertè demonſtrant maximoperè congruum eſſe, vt nomen Viri tanta,& tam eximia Sanctitate celebris in Litanijs Eccleſiæ maioribus, reponatur veluti omiſſis generalibus, in ſpecie argumentatur Iſidorus de Iſolanis Theologus Ordinis Prædicatorum in ſua *Summa de Donis Sancti Ioſeph* Adriano Sexto Summo Pontifici dicata *par.4. cap.7. = His itidem rationibus nullo modo conticendum in Litanijs eſt nomen eius.*

6. Multiplici potiſsimum concurrente circumſtantia, quarum prima eſt, quod nomen Sancti Ioſeph non ſolum nunc eſt, ſed ab antiquo tempore fuit appoſitum in Litanijs Patrum Prædicatorum. Nunc autem prædictum nomen eſt in Litanijs dictorum Patrum, cum legatur in Litanijs impreſsis in Miſſali eorum Romæ edito,& confirmato Litteris Apoſtolicis ſan:mem: Innocentij XI. Fuit quoque illud idem nomen ab antiquo tempore in Litanijs appoſitum, quia licet anno 1467. non eſſet in illis, vti deſumitur ex Breuiario ipſorum Patrum manuſcripto, & exiſtente in celeberrima Caſanatenſi Bibliotheca, anno tamèn 1551. illud iam erat in Litanijs eorundem, vti habetur in Pſalterio Chorali d. Ordinis impreſſo Venetijs apud Iunctas anno 1551., quod paritèr exiſtit in Bibliotheca Caſanatenſi, & ex Breuiario eiuſdem Ordinis ſub Generali Romeo impreſſo Venetijs paritèr apud Iunctas anno 1552., & confirmato per Litteras Apoſtolicas in forma Breuis Summi Pontificis Iulij Tertij, quod Breuiarium eſt in Archiuio Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam. Hoc autem exemplum aliqualitèr conducere dicendum eſt ad comprobationem aſſumpti, de quo nunc agitur, itaut ſicuti nomen Sancti Ioſeph ab antiquo tempore eſt repoſitum in Litanijs maioribus Patrum Prædicatorum, ità accedentibus huius Sacræ Congregationis Conſilio,& Sanctiſsimi Domini Noſtri approbatione, reponi illud idem nomen valeat in Litanijs maioribus vniuerſalis Eccleſiæ, vt in ſimili obſeruatum vidimus in Feſto Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Mariæ; illud enim ex tolerantia Sanctæ Sedis in aliquibus Eccleſijs olim celebrabatur, teſte Diuo Thom. 3. *parte quaſt.27.art.2.* ibi= *Ad tertium dicendum, quod licet Romana Eccleſia Conceptionem B.Virginis non celebret, tolerat tamèn conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud Feſtum celebrantium, vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda*, & poſt illius cultum à pluribus Romanis Pontificibus ampliatum, Sanctiſsimus tandem Dominus Noſter Diuina prouidentia Clemens Papa Vndecimus prædictum Conceptionis Feſtum ab omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ſicut alia Feſta de præcepto ſeruandum mandauit, & celebrandum, vt ex eius notiſsimo conſtat Diplomate; quod per extenſum refert Pater Ioannes Antonius de Panormo meritiſsimus huius Sacræ Congregationis Conſultor in ſuo Scrutinio doctrinarum *cap.6.art.9. ſub num.12.*

7. Secunda circumſtantia eſt, quod olim in Litanijs quoque maioribus vniuerſalis Eccleſiæ nomen S.Ioſeph erat repoſitum, nec vllum repe-

ritur Decretum, quod illud à prædictis abſtulerit Litanijs, idque facit, vt illud ſit in ijſdem Litanijs reponendum, ſi non ex noua conceſsione, medio ſaltem reintegrationis omni Iure debitæ; nulla cadente dubitatione in eo, quod attinet ad exiſtentiam nominis Sancti Ioſeph in Litanijs maioribus vniuerſalis Eccleſiæ, cum illud expreſsè legatur in Litanijs impreſſis in Miſſalibus Romanis editis anno 1541. anno 1557. & anno 1563., quæ extant in noſtro Archiuio Vaticanæ Baſilicæ; nullaque paritèr cadente dubitatione, in eo quod ſpectat ad aliam aſſumpti partem, quod videlicèt nullum extet Decretum, quod à Litanijs vniuerſalis Eccleſiæ nomen abſtulerit Sancti Ioſeph; De ſolo ſiquidem S. Pio Quinto legitur, quod Officium quoddam proprium S. Ioſeph prohibuit, & quod conceſſit Officium de communi Confeſſoris, non Pontificis cum Oratione propria, & tribus Lectionibus ſecundi Nocturni ex Sancto Bernardo deſumptis, vt benè adnotauit Adrianus Baillet in *Vitis Sanctorum* Gallica lingua conſcriptis in Vita S. Ioſeph; cumque id factum fuerit, ex quo in Officio illo proprio S. Ioſeph, aliqua reperiebantur, quæ non erant vndequaque tuta; quales erant ſignanter Antiphonæ ad Veſperas ſequentibus verbis conceptæ *Cœleſti Pontifex doctus oraculo, virgæ florentis Ioſeph viſo miraculo, atque columbæ apparentis indicio, iubet Mariam tradi Ioſeph connubio, vt impleretur diuina diſpenſatio*; Beatiſſima ſiquidem Virgo Maria ab Iſaia Propheta deſcribitur ſub figura virgæ de radice Ieſſe egredientis, & ex hac locutione figurata nonnulli Aſcetici occaſionem arripuerant id accipiendi pro re facta, & pro iudicio diuino, vt Sacerdotes cognoſcerent Sanctum Ioſeph à Deo in Mariæ Sponſum fuiſſe deſtinatum, vti bene animaduerterunt Continuatores Bollandiani in Vita S. Ioſeph *in Commentario Hiſtorico §. 1. num. 8. = Non ſunt Euangelico Textui vſquequaque conformia, quale eſt illud de Sancti Ioſephi virga præ cæterorum omnium cognatorum virgis inſtar Aronicæ illius frondente, quo prodigio cognouerint Sacerdotes Templi Virginis Beatiſſimæ coniugem ipſum eſſe præ omnibus diuinitùs deſtinatum, nempè Beatiſſima Virgo Maria ab Iſaia Propheta deſcribitur ſub figura virgæ de radice Ieſſe egredientis, quæ inuſitato prodigio fœcunditatem iungens Virginitati, mirabiliter floruit; quæ eadem cum Matrimonij lege in Ius poſſeſſionemque Ioſephi tranſiſſet, data eſt occaſio locutionem figuratam quaſi pro re facta accipiendi, & aridam virgam tribuendi Ioſepho, quæ diuina Spiritus Sancti virtute viruerit*, nemo idcircò eſt, qui non videat, hoc nihil habere commune cum nomine S. Ioſeph à Litanijs vniuerſalis Eccleſiæ auferendo, & conſequentèr nullum extare Decretum, quod illud à Litanijs abſtulerit, & ſic à primo ad vltimum fortiſſimam concurrere in hypotheſi noſtra circumſtantiam pro noua repoſitione, ſiue reintegratione ſæpè recenſiti nominis S. Soſeph in ſæpè memoratis Litanijs vniuerſalis Eccleſiæ.

8. Tertia eſt, quod quidquid ſit de antiquiori Eccleſiæ diſciplina, de qua infrà tractabitur, habet hodiè Sanctus Ioſeph maximum in Eccleſia

ſia

ſi i vniuerſali cultum, tum quia habet Officium duplex,& proprium, tum quia eius Feſtum eſt de præcepto in tota vniuerſali Eccleſia, vti habetur in Conſtitutione 291. Vrbani Octaui Bullar.*tom.*5., eiuſque nomen eſt in Martyrologio Romano. Si ergo S.Ioſeph ampliſſimum habet per totam Eccleſiam cultum, congruum etiàm conſequentèr eſſe videtur, vt eius nomen in Litanijs maioribus reponatur; Litaniæ etenim, quæ à primis Apoſtolicis temporibus ortum ſuum habuerunt teſte Nicolao Serario *de Litanijs lib.primo cap.*4. *pag.*62.ibi=*denique nullus ab Agiomachis hactenus verè prolatus fuit, vel deinceps proferri poterit, qui in Litaniam Sanctos primus induxerit, vti iam dicetur, ideòque à primis Apoſtolicisque temporibus profectum non abſurdè colligitur*,nihil aliud ſunt,quàm Cathalogus Sanctorum,qui à fidelibus ritè, & licitè inuocari poſſunt,teſte Fortunato Scacco *de notis, & ſignis Sanctitatis ſection.*10. *cap.*3.= *Litaniæ habent rationem cuiuſdam cathalogi Sanctorum, qui à fidelibus ritè, ac licitè coli, & inuocari poſſunt*.

9. Quarta denique, & vltima circumſtantia reſidet in hoc, quod in benedictione aquæ, quæ fit in vigilia Epiphaniæ, iuxtà Rituale Romanum, nonnullæ recitantur Litaniæ, & in his repoſitum eſt nomen Sancti Ioſeph; In vigilia ſiquidem Epiphaniæ poſt Completorium, vel etiam lecta nona Lectione in Matutino,Sacerdos indutus ſacris veſtibus cum Pluuiali,& Diaconus,& Subdiaconus ſacris ſui ordinis veſtibus induti, præcedentibus Accolitis cum Cereis,& Cruce, & Thuribulo, & alijs, ſequentibus Clericis, veniunt ad locum, vbi paratus eſt alueolus cum aqua illamque ſtatis ab Eccleſia cæremonijs benedicunt; Mos hic ſacer eſt perantiquus, & originem habuit, ex quo in Feſto Epiphaniæ olim Baptiſmus maximè frequentabatur. Viget ille in Orientali Eccleſia, eiuſque meminit S.Ioannes Chryſoſtomus *in Homilia de Baptiſmo Chriſti*= *In hac ſolemnitate, ſub mediam noctem cum omnes aquam acceperint, domum calices referunt. & recondunt, & per integrum annum conſeruant, vtpotè, quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ*, ferebatur enim Chriſtum Dominum hac ipſa die Baptizatum fuiſſe à S.Ioanne,*fitque miraculum euidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, ſed integro anno, atque biennio, & triennio ſæpè, quæ hodiè fuit hauſta incorrupta, & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum ijs,quæ nuper fuerint fontibus eductæ, certat*; Viget, & idem mos ſacer in Eccleſia Occidenrali, vt pluribus oſtendit eruditus Edmundus Martene *in tractatu de antiqua Eccleſia diſciplina in Diuinis celebrandis Officijs tom.* 4. *cap.*14. *num.*2.,& hodierna die Romæ quotannis fit in Eccleſia Archiconfraternitatis Stigmatum S.Franciſci. Approbatus eſt ille ab Eccleſia Romana adeoque in Rituali Romano edito iuſſu ſan.me.Pauli Quinti eiuſque Apoſtolico Diplomate confirmato, cæremoniæ deſcribuntur, & Orationes inſeruntur peragendæ, & reſpectiuè recitandæ in illa aquæ benedictione,cumque intèr cæterasOrationes,particulares quædam

dam adſint Litaniæ, in quibus, vti diximus, inſertum eſt nomen San- cti Ioſeph, circumſtantia hæc operatur, vt illud idem nomen in Lita- nijs maioribus vniuerſalis Eccleſiæ videatur reponendum, cùm nulla diſpar aſſignari poſſit ratio, cur tale nomen legatur in Litanijs ab Ec- cleſia approbatis pro aquæ benedictione, & è contra legi non valeat in Litanijs maioribus Eccleſiæ vniuerſalis.

10. Nec obſtare poſſe exiſtimarem, ſi dicatur, quod iuxtà antiquio- rem Eccleſiæ diſciplinam cum magna cauthela procedebatur in his, quæ ſpectant ad cultum S. Ioſeph, hinc inferendo nullum eſſe poſſe locum repoſitioni nominis illius in Litanijs; Veritas etenim eſt, quod iuxta priora Eccleſiæ tempora, non erat adeo amplificatus cul- tus S. Ioſeph, ſed ex his deduci nequit non eſſe illius nomen hic, & nunc in Litanijs reponendum. Quòd autem veritas ſit, non fuiſſe prioribus Eccleſiæ temporibus adeò cognitum, & amplificatum cul- tum huius celeberrimi Sancti, patet, quia tantummodò initium il- lius in Eccleſia Occidentali referri poteſt ad finem noni Sæculi; adeò- que videmus nec Vſuardum, nec Adonem S. Ioſeph meminiſſe in ſuis Martyrologijs, vti benè animaduertit Adrianus Brillet *in Vitis Sanctorum in Vita S. Ioſeph*; Sæculiſque vndecimo, atque duodeci- mo cultus ille incrementum accepit, & talis incrementi cauſa adſcri- bitur Patribus Carmelitis, qui ab Oriente in Occidentem tranſtuliſſe dicuntur laudabilem conſuetudinem, ampliorem venerationem præ- ſtandi tanto Viro, iuxtà ea, quæ plenè referunt Continuatores Bol- landiani in Vita S. Ioſeph *in Commentario hiſtorico* §. 3. *num.* 14., Tillemont *in memorijs ſex primorum Eccleſiæ Sæculorum in Vita S. Ioſeph pag.* 83., cumque Inſtitutum Patrum Carmelitarum ſecutæ ſint cæteræ religioſæ Familiæ, & ſignanter illa Sancti Franciſci, & altera Sancti Dominici, Sæculis decimoquarto, & decimoquinto, ſicuti latè demonſtrant prædicti Continuatores *loco citato num.* 16. Maximoperè in idipſum cooperante Sancta Thereſia, quæ S. Ioſeph cultum per totam Hiſpaniam propagauit, teſte Adriano Baillet *loco citato*, propter eximias videlicet gratias, quas eadem à Domino ob- tinuerat eius interceſſione, vt ipſa teſtatur in ſua Vita *cap.* 6., & *cap.* 32., & facillimè confirmant Didacus de Iepez *lib.* 2. *Vitæ S. The- reſiæ cap.* 27. Elias à Sancta Thereſia in ſuo Opere, cui titulus *Legatio Eccleſiæ Triumphantis ad militantem in apparatu*, paulatim factum eſt, vt maxima dicti cultus amplificatio ſecuta ſit, ſicuti benè adnotauit eruditus Vir Franciſcus Maria Florentinus in ſuis *Notis ad Martyro- logium ad diem* 20. *Martij*, ibi = *Et quanquam antea actis Sæculis San- cti Patres magna venerationis teſtimonio de Ioſepho meminerint, cer- tum tamen eſt, poſterioribus temporibus Sancti Viri cultum celebrio- rem eſſe, & poſtremis ſæculis Eccleſiam, Templis, Aris, Sodalitati- bus, encomijs, magis in eundem fuiſſe propenſam*, accedentibus prætereà Summorum Pontificum conceſſionibus; in Breuiarijs enim editis, tempore Xiſti Quarti illius Officium erat ſimplex, & tempori-

bus

bus Innocentij Octaui ad Ritum duplicem eleuatum eſt, & quamuis dies Sancti Ioſeph non eſſet per vniuerſalem Eccleſiam feſtiua tempore Ioannis Gerſonis, videmus ſiquidem eundem plures de hoc argumento conſcripſiſſe epiſtolas, quæ legi poſſunt in eius operibus *tom.4.*, ſicuti ſolidè ponderat Thomaſinus *in ſuo Tractatu de Feſtis lib.2. cap. 22. num. 11.*, idem nihilominùs Sixtus Quartus Summus Pontifex illius celebrationem indixit, vt in illius Vita teſtatur Platina his verbis = *multas veteribus ſolemnitates adiunxit, vt Conceptionis, Oblationis Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, Sanctorum Annæ, Ioſephi, & Franciſci, quas in Eccleſia celebrari iuſſit*, ſed quia fortè Decretum illud non habuit executionem, vel celebrationem Feſti de præcepto non importauit, anno tandem 1621. præuio huius Sacræ Congregationis Conſilio die 8. Maij, Gregorius Papa Decimuſquintus illius obſeruantiam tanquam de præcepto demandauit, iuxtà ea, quæ latè refert Io: Baptiſta Thyers *de feſtorum dierum diminutione cap.56.pag.389.*, & ſequitur Guyet. *de feſtis proprijs Sanctor.lib.primo cap.primo quæſt. 12.* ibi = *Feſtum S. Ioſeph licet actis retrò ſæculis omnibus propè Calendarijs incognitum manſerit, magno tamen huius ſæculi bono, ac decore a Sixto Quarto primum Calendario Romano inſertum, & à Gregorio XV. anno 1621. publicæ etiam feriationis præcepto auctum, vbique deinceps celeberrimum euaſit*, & confirmauit Summus Pontifex Vrbanus Octauus in Conſtitutione iam ſuprà recenſita. Quod verò ex his inferri non poſſit nomen S. Ioſeph non eſſe hic, & nunc in Litanijs reponendum, nullo negotio demonſtratur; ſi enim auctoritate Sanctæ Sedis, & ex conſenſu Vniuerſalis Eccleſiæ cultus S. Ioſeph poſterioribus ſæculis incrementum accepit, iterùm reuiuiſcit aſſumptum congruitatis, vt videlicèt poſt deſcriptionem in Martyrologio, poſt Officium proprium extenſum ad Eccleſiam Vniuerſalem, poſt Feſtum illius factum de præcepto, illius quoque nomen in Litanijs recenſeatur, vel mediante nouo Decreto, vel mediante reintegratione omni Iure debita, iuxtà ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt.

11. Multòque magis, quia inueſtigando cauſas, propter quas primis Eccleſiæ ſæculis incognitus quodammodò dici poterat cultus S. Ioſeph, quiſque facili negotio deprehendere poterit illas poſterioribus non eſſe applicabiles, & ſic conſequenter non valere argumentum, quod ſi primis ſæculis non habemus veſtigia cultus huius Sancti, non debeat hic, & nunc eſſe locus ampliationi illius, & ſic repoſitioni nominis in Litanijs Eccleſiæ vniuerſalis. Cum enim Cauſæ ad tria potiſſimùm Capita reducantur, quorum primum eſt, quod ille deſcendit ad Limbum, ſecundum, quod pertinere videtur ad vetus Teſtamentum, & tertium, quod Hæretici ſuſpicari poſſent illum non putatiuum, ſed naturalem haberi Patrem Redemptoris Noſtri IESV CHRISTI, vti rectè admonuit Sanctus Bernardinus Senenſis *in Sermone de S. Ioſeph. artic.2. cap.2. pag.462. col.prima in principio tom.3.*

tom..3. = *Eccleſia non multum ſolemnitatem eius ordinauit, primò, quia ad Limbum deſcendit, & ad vetus pertinet Teſtamentum: ſecundum propter vitandum ſcandalum Hæreticorum, vndè nec nominant eum Patrem, niſi cum determinatione, ſcilicèt putatiui.* Deſcenſus certè ad Limbum nullum præſtare poteſt obſtaculum, nec in abſtracto loquendo, nec in concreto; non in abſtracto quidem, quia plurimorum Sanctorum Veteris Teſtamenti mentio fit in Martyrologio Romano, non obſtante, quod ad Limbum deſcenderint, ſignanter autem Sanctorum Malachiæ, Habacuc, Micheæ, Agabi, Amos, Ezechielis, Hieremiæ, Iob, Eliſei, Aaron, Oſeæ, & Aggæi, Ioelis, & Eſdræ; Iſaiæ, Eliæ, Danielis, Samuelis, Ioſue, Gedeonis, & Annæ Propheτiſſæ, Zaccariæ, Ionæ, Abrahæ, Abdiæ, Naum, Sophoniæ, Ananiæ, Azariæ, Miſaelis, & Dauidis, & non obſtante pariter deſcenſu ad Limbum ſolemni celebritate recolitur memoria Præcurſoris Domini Sancti Ioannis Baptiſtæ, necnon Martyrum Machabæorum, quorum feſtum celebrari non poſſet, ſi deſcenſus ad Limbum impediret ne cultus præſtaretur illis, qui in prædicto loco ſteterunt, vti benè argumentatur S.Bernardus *epiſt.*98.= *Quæris itaque quidnam viſum Patribus fuerit, vt ſolis ex omnibus antiquis iuſtis ſingulari quodam priuilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum noſtris Martyribus veneratione decernerent in Eccleſia ſolemniter exhibendam? Si dixero dignos merito Martyrum gloria iudicatos, quibus non impar fuit in Martyrio virtus, erit forſitàn ſolutum, cur ipſos, ſed necdum planè cur ſolos, cum & alios nonnullos ex veteribus pari conſtet zelo pietatis occubuiſſe, non tamen pari & tripudio recoli meruiſſe. Quod ſi illis non immeritò huiuſcemodi negatur ſolemnis celebritas, quia nimirùm, quod præbuit virtus, præripuit tempus, cur non & eadem fuit in Machabæis conſideratio? Siquidem & ipſi pro tempore non ad Cæli mòx gaudia, ſed ad Inferni tenebras deſcenderunt, ne tunc quippè apparente Primogenito ex Mortuis, qui aperiret credentibus Regna Cælorum, Agno videlicèt de Tribu Iuda, qui aperit, & nemo claudit, ad cuius introitum cum omni auctoritate ſupernis Poteſtatibus diceretur: Tollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Proindè ſi incongruum videtur cum gaudio recolere tranſitum, qui gaudij non fuit, caueatur, & in iſtis. Aut ſi iſtos ob ſuæ Virtutis meritum, feſtiuo proſequi fauore placet, cur non itidem deferetur & illis?* Et quod caput eſt, multò minùs deſcenſus ad Limbum impedire valet in concreto, ne nomen in Litanijs reponatur, tùm quia in Litanijs Vniuerſalis Eccleſiæ inuocantur omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ; tùm quia in Litanijs pro Animæ commendatione inuocantur Sancti Abel, & Abraham, ſicutì benè ad rem argumentantur Caſtellan. *in tractat.de Canonizat.Sanctor.quæſt.*4.*num.*88., Lezan. *conſultat.*3. *num.*102., *& ſequen.*, Raynaud. *tom.*15.*heteroclit.Spiritual.punct.*5. *num.*15.*pag.*287., Guyet *de Feſtis proprijs Sanctorum lib.primo cap.*5. *quæſt.*8.

125 Idem-

12. Idemque iudicium ferendum eſt de ſecunda cauſa, quod ſcilicèt Sanctus Ioſeph ad vetus pertineat Teſtamentum, vel quia Sancti etiam veteris Teſtamenti iuxtà ſupradicta coluntur in Eccleſia, vti præter ſuprà cumulatos benè oſtendit Serarius *in Tractat. de Litanijs part.2.quaſt.17.* : Vel quia propriè, & abſolutè loquendo, dici nequit Sanctum Ioſephum ad vetus Teſtamentum pertinere, ſicuti docuit Suarez *in tertiam partem Diui Thomæ tom. 2. diſputat. 8. ſection. prima in fin.* = *Officium autem Ioſeph non pertinet ad nouum Teſtamentum, neque propriè ad vetus, ſed ad vtriuſque Auctorem, & lapidem angularem, qui facit vtraque vnum*, & ſequitur ſæpè memoratus Guyet. *de feſt.proprijs Sanctor.lib.primo cap.5.quaſt.8.* = *idemque potiori Iure aſſero de ijs Sanctis, qui licèt antè Chriſti Paſſionem, atque adeò antè conditam Gratiæ legem è viuis exceſſerint, pertinere tamen ad Euangelij ſtatum ex eo, vel maximè reputandi ſunt quod ab ipſomet Euangeliſta commendentur, aut certè, quod Chriſtum ipſum propinquitate, ſeù carnis affinitate proximè attingant, quales ſunt Zaccarias, & Eliſabeth, Simeon ſenex, & Anna propheteſſa, vt taceam Ioachinum, & Annam Virginis Deiparæ parentes Sanctiſſimos, Ioſeph Sponſum eius Caſtiſſimum, Ioannem denique Chriſti ipſius Domini Noſtri Baptiſtam, ac Præcurſorem*; cumquè pro adæquato aſſumpti examine, nihil aliud ſuperſit, quàm verba facere de tertia cauſa, occaſione videlicèt, quæ ab eximio cultu S. Ioſeph deriuare poteſt exiſtimandi illum non haberi pro Patre putatiuo, ſed naturali IESV CHRISTI Domini Noſtri, quemadmodùm hæc, & ſimilia benè congruebant temporibus, quibus myſteria Fidei adeò perſpecta non erant; ità inapplicabilia conſeri debent ſubſequentibus, & poſtremis temporibus, in quibus Fides iàm eſt ſatis corroborata, ſecundùm ea, quæ piè, ac doctè inſinuarunt Continuatores Bollandiani in Vita S. Ioſeph *in Commentario hiſtorico* §. 2. *in principio*, = *Eadem cauſa, quæ potuit mouiſſe Deum, vt antèquam Filium ſuum Mundo, & Iudæis manifeſtaret, putatiuum illius Patrem Ioſephum tolleret ex hac vita, videtur etiam inter plures alias poſſe allegari, ob quam Diui Ioſephi, non æquè, ac Virginis Deiparæ cultus vnà cum Chriſtiana Fide fuerit toto Orbe propagatus per Apoſtolos, vel ſaltèm ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, æquè, ac Sanctorum Martyrum inſtitutus. Nempè periculoſum videbatur rudibus ad Fidei myſteria gentibus, eum magnoperè prædicare, cuius commendatio frequens, Virginei partus fidem poſſet vtcunque labefactare, & ad vetus Teſtamentum pertinere videbatur Ioſephus antè promulgatam Legem gratiæ mortuus, pro cuius defenſione occiſi Martyres, vtiliùs proponebantur honorandi, ad excitamentum Fidelium inter perſecutiones certantium. Fide tamen iàm ſatìs corroborata, & Eccleſiaſtici cultus honore etiam ad eos, qui citrà ſanguinem egregijs Virtutum præluxere exemplis, laudabiliter traducto, vi-*

Mi-

ſum eſt rationi congruum, vt non omninò prætermitteretur in Sacris, cuius tanta laus erat in Euangelio, quamuis antè Euangelium defuncti.

13. Minus facit ſi opponatur nomen Sancti Ioſeph non reperiri in Litanijs majoribus poſt reformationem Breuiarij Romani ſecutam temporibus S. Pij V. Nè enim quid diſſimuletur, ingenuè admittendum eſt, quod in nullis Breuiarijs impreſſis poſt tempora S. Pij V. quæ aliquali diligentia inſpicere volui tàm in Bibliotheca Caſanatenſi, quam in noſtro Archiuio Vaticanæ Baſilicæ, reperire potui nomen Sancti Ioſeph. in Litanijs, licet in Miſſalibus antè prædicta tempora impreſſis, & ſupra relatis nomen Sancti Ioſeph in Litanijs majoribus legeretur; at id non facit, quin eius nomen hìc, & nunc non valeat in ijſdem Litanijs reponi, cum veriſimile admodum ſit hanc nominis ſubtractionem deriuaſſe ex imperitia Impreſſorum, qui audientes prohibitum fuiſſe à Sancto illo Pontifice Officium proprium Sancti Ioſeph, aliudque de communi Confeſſoris non Pontificis eius loco ſubrogatum, proprio marte, priuataque auctoritate Sancti hujus nomen à Litanijs abſtulerunt, concurrentibus nonnullis ad huius rei comprobationem coniecturis, quæ non videntur vndequaque contemptibiles. Prima eſt, quod ijdem Impreſſores proprio marte in Litanijs majoribus recenſuerunt nomina nonnullorum aliorum Sanctorum, vti facilè oſtendere poſſem, ſi neceſſitas id exigeret. Incredibile ergo non eſt, vt qui priuata auctoritatè nonnulla nomina addiderunt, priuata etiam auctoritate vnum nomen ſubduxerint. Secunda eſt, quod nullum reperitur Decretum memorati Summi Pontificis S. Pij V., in quo demandatum fuerit nomen Sancti Ioſeph à Litanijs deleri. Attribuenda eſt ergo nominis deletio Impreſſorum æquiuocationi, & eò fortiùs, quia ſicuti Auctores meminerunt Officij proprij Sancti Ioſeph à Sancto Pio Quinto prohibiti, ità meminiſſent Decreti, quo nomen eius à Litanijs auferretur, ſi illud reuerà editum fuiſſet. Tertia eſt, quod nulla adeſt excogitabilis cauſa, à qua Sanctum illum Pontificem inductum dicere poſſimus ad decernendum, quod nomen Sancti Ioſeph à Litanijs abraderetur. Probat hoc autem, Decretum non emanaſſe, & ſic nominis deletionem per errorem irrepſiſſe. Quarta denique, & vltima eſt, quod in Litanijs approbatis pro aquæ benedictione, & inſertis in Rituali Romano à Summo Pontifice Paulo Quinto confirmato, Sanctus Ioſeph inuocatur, vti ſupra oſtenſum fuit. Porrò quemadmodum incomprehenſibile eſt, vt poſt nomen Sancti Ioſeph à Litanijs maioribus abraſum, intercedente Pontificia auctoritate Sancti Pij Quinti, illud idem legeretur in Litanijs approbatis ab alio ſubſequenti Pontifice, videlicèt S.M. Paulo Quinto, ità imperceptibile remanet, vt aliquod præceſſerit Decretum eiuſdem S. Pij V. de nomine S. Ioſeph à Litanijs auferendo, & ceſſante Decreto, à primo ad vltimum viget Aſſumptum ab errore, & æquiuocatione deriuaſſe, quod in Litanijs exiſtentibus in Breuiarijs impreſſis poſt tempora S. Pij V. nomen ampliùs Sancti Io-

ſeph

ſeph non reperiatur, errorque, & æquiuocatio obſtare nequeunt, quin illius nomen Iure poſtliminij iterum in Litanijs ſcribatur, & hęc quoad repoſitionem nominis S. Ioſeph in Litanijs dicta ſufficiant.

PARS SECVNDA.

In qua tractatur de loco Litaniarum, in quo nomen Sancti Ioſeph recenſendum ſit.

14. POſtquam firmatum fuit maximoperè congruum videri, vt nomen Sancti Ioſeph in Litanijs Maioribus reponatur, reliquum eſt vt examen inſtituamus de loco ipſo Litaniarum, in quo prædictum nomen ſit recenſendum, & quia de triplici loco eſſe poteſt controuerſia de loco videlicèt ante Sanctum Ioannem Baptiſtam, de primo loco Inter Confeſſores, & de loco immediato poſt Sanctum Ioannem Baptiſtam, de vnoquoque ex his locis ſpecialiter agendum eſt, vt Sacra Congregatio habere poſſit ſub oculis omnia, quæ ſunt neceſſaria pro adæquata huius dubij reſolutione.

15. Quo circa initium deſumendo à loco antè Sanctum Ioannem Baptiſtam, pro illo facit ponderatio Suarez, qui probabile exiſtimat, Sanctum Ioſeph perfectiorem gratiam obtinuiſſe ipſomet Sancto Ioanne Baptiſta, veluti deſumitur ex ſequentibus eius verbis *in 3. par. Diu. Thomæ tom.2. diſput.8. ſeq.2. pag.85. col.1.* = *Quia probabile eſt Ioſephum perfectiorem gratiam eſſe aſſequutum, quam Ioannem Baptiſtam quia excellentius munus habuiſſe videtur, & maiorem opportunitatem, pluresque occaſiones creſcendi in gratia, & charitate; & hinc ſumitur confirmatio, quia Deus confert gratiam miniſterio, & dignitati accommodatam, vt ijſdem locis citatis Diuus Thomas dicit, ſed oſtendimus probabile eſſe Ioſephi munus eo fuiſſe excellentius, quo ad altiorem Ordinem pertinuit. Quid ergo mirum quod maiorem gratiam acceperit?* Et ſequitur Cornelius à Lapidè *in Commentar. in Matth. cap.1. pag.48. in fine editionis Antuerpien.* ibi = *Quintò Ioſeph fuit eximiæ Sanctitatis ac eximijs naturæ, & gratiæ dotibus à Deo inſtructus, adeoque illo Sæculo non fuit Vir ſanctior, aut dignior, cui Mater Dei deſponſaretur; Vnde Franciſcus Suarez probabiliter opinatur Ioſephum in gratia, & gloria antecellere Apoſtolos, & Ioannem Baptiſtam, quia eius Officium illorum Officio præcellebat. Plus enim eſt eſſe Patrem, & Rectorem Chriſti, quam Præconem, & Præcurſorem eiuſdem;* Cumque aduerſus huc vſque deducta opponi poſſet illud Matth. *cap.11. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta, qui*

au-

autem minor eſt in Regno Cælorum maior eſt illo, quia nihilominùs in Euangelio S.Lucæ *cap.7.* hæc alia habentur verba *Dico enim vobis maior inter natos Mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt, qui autem minor eſt in Regno Dei maior eſt illo*, binæ hinc inferri poſſunt conſequentiæ, vel quod maioritas S.Ioannis Baptiſtæ nullatenus intelligenda ſit quoad ſanctitatem, ſed quoad donum prophetiæ, iuxtà interpretationem Caietani in Lucam *cap.7. Quarta laus Ioannis relatiua eſt non ad omnes homines, ſed ad omnes Prophetas; Sic Lucas: Maior inter natos Mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt; Immò litteralis ſenſus eſt, quod inter Prophetas nemo fuerit maior Ioanne*, cui interpretationi adhæret Toletus pluribuſque exornat Hieronymus Perez, in ſuo opere, cui titulus *Lapidicina Sacra tractat.1. ſect.20. nu.249.*

16. Vel quod quatenus maioritas Sancti Io. Baptiſtæ intelligenda ſit, & quoad donum prophetiæ, & quoad donum ſanctitatis, juxtà ea, quæ docet S. Auguſtinus *ſerm.pr.in feſto Natiuit.S.Io.Bapt.edit.Lugdunen. pag.372.tom.10.* = *Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator teſtimonium perhibet dicens, non ſurrexit inter natos Mulierum maior Io.Baptiſta; præcellit cæteros, eminet vniuerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarcas, & quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Ioanne. Dicet fortaſsè aliquis. Si inter natos mulierum, Ioannes maior eſt, maior eſt Saluatore. Abſit. Ioannes enim natus mulieris, Chriſtus autem Virginis natus eſt. Ille corruptibilis vteri finibus effuſus eſt, iſte impolluta Virginis flore progenitus*: Multoque magis cum juxtà Scripturæ phraſim, propheriæ nomen non minùs officium, quàm ſanctitatem oſtendat, vti habetur Matth.21.11. = *Populi autem dicebant, hic eſt Ieſus propheta à Nazareth Galilææ*, & Marc.6.15. *alij autem dicebant, quià Elias eſt, alij verò dicebant, quià Propheta eſt, quaſi vnus ex Prophetis*, & benè adnotauit Maldonat. *in Matth. cap.11.pag.232.* = *Quid enim Prophetæ, Sancti & eſſe ſolebant, & habebantur, Viri ſancti, etiamſi Propheta non eſſent, Propheta vocabantur, quo ſenſu paſſim videmus Chriſtum à Iudæis Prophetam appellari, non quod futura prædiceret, ſed quod ſuâ miraculis ſanctitatem declararet*, cum tamen majoritas illa S.Io. Baptiſtæ, & in Prophetia, & in ſanctitate reſpiciat Patres veteris Teſtamenti vti poſt S. Hieronymum docet Maldonat. *loco cit.pag.233.* = *Breuiter igitur, & facilè reſpondeo, Ioannem, quemadmodùm Hieronymus docet, non cum omnibus, ſed cum ſolis Sanctis veteris Teſtamenti comparari*, & ſequitur Cornelius à Lapide *in citat.cap.11.Matth.pag.244.* ibi = *Tacitè ergò Chriſtus hic Ioannem vocat omnium maximum, alioquin enim non rectè hinc concluderet Ioannem eſſe pluſquàm Prophetam, quod tamen probare intendit: Intellige hoc de hominibus veteris Teſtamenti, præcedentis ſcilicèt ſæculi vſque ad Chriſtum*, ab his facilè deduci poteſt, allegatos Euangelij locos, nullatenùs reſpicere Sanctum Ioſeph, qui ex ſupradictis ad nouum pertinet Teſtamentum, & ſubſiſtente per conſequens maioritate Sancti Ioſeph in Sanctitate præ Sancto Io. Baptiſta, à primo ad

vl-

vltimum non alium illi in Litanijs locum eſſe aſſignandum, quàm illum, qui Sanctum prædictum Ioannem Baptiſtam immediatè præcedit.

17. Creſcitque argumentum, quandoquidèm in regulandis Litanijs haberi conſueuit ratio temporis, quo Sancti obierunt, itaut qui primò mortuus eſt, alium præcedat, qui ſubſequenter ex hac vita migrauit. Porrò probabile admodùm videtur Sanctum Ioſeph mortuum fuiſſe antè S.Io.Baptiſtam; Chriſtus enim Dominus, cùm eſſet annorum duodecim venit Hieruſalem ad celebrationem Paſchæ, nec rediJt cum Parentibus, ſed inuentus eſt poſt triduum in Templo in medio Doctorum ſedens, erudiens illos, & interrogans, vti legitur in Euangelio S Lucæ *cap.2.* *Et cum factus eſſet annorum duodecim*, paulòque poſt S.Ioſeph ex hac vita migrauit, itaut conſequenter nulla ampliùs illius fiat mentio in Euangelio, Teſte S. Epiphanio *hæreſi* 78. *Ioſeph poſt repertum Ieſum puerum in Templo, haud multò poſt ex hac vita migrauit, & propterea in Euangelica Scriptura nulla ampliùs de eo habetur mentio*, & ſequitur Cardin. Baronius in *Annalibus ad annum Chriſti duodecim pag.* 88. iuxtà editionem Typographiæ Vaticanæ, quandò è contrà S. Io. Baptiſta ſuum miniſterium exercuit per integrum fermè annum, antequàm Chriſtum Dominum baptizauerit, & Chriſtus Dominus baptizatus fuerit ineunte ætatis anno trigeſimo, vti facta veri temporis ſupputatione docet Pater Graueſon ex Dominicana Familia Theologus inſignis Collegij Caſanatenſis in ſuo *tract. de Myſterijs, & annis Chriſti quæſt.1. pag.215. & quæſt.3. pag.* 234. adeòque Venerabilis Beda cenſet, S. Io. Baptiſtam occiſum fuiſſe currente anno trigeſimo tertio ætatis Chriſti, & Salianus in *Annalibus tom.6.in fine ad annum Chriſti* 32.*num.*20.putat eundem occiſum fuiſſe in fine anni trigeſimi ſecundi ætatis Redemptoris noſtri.

18. Verùm his, & ſimilibus minimè obſtantibus, tutum mihi nullatenùs videtur, neque conueniens reponere in Litanijs nomen S.Ioſeph ante nomen S.Io.Baptiſtæ; Primò quià, vti vidimus, nomen S.Ioſeph, non ſolùm eſt in Litanijs Patrum Prædicatorum, ſed etiam erat in Litanijs maioribus vniuerſalis Eccleſiæ, & hodiè reperitur in Litanijs pro Aquæ benedictione, cumque in his omnibus, numquam illius nomen ſit ante nomen S.Io.Baptiſtæ, concludendum hinc eſſe videtur, locum nominis ejus non poſſe eſſe illum, qui immediatè S.Io.Baptiſtam præcedit, & ſpecialius cum in Litanijs Patrum Carmelitarum, nec Elias, nec Eliſeus S. Io. Baptiſtam præcedant, licèt de regula ſit, vt in Litanijs Sancti veteris Teſtamenti præcedant his, qui pertinet ad nouum Teſtamentum, juxtà benè deducta per Gauant.*to.2.ſect.5.cap.*18.*nu.*7 Secundò, quià totum fundamentum præferendi S.Ioſephũ Sancto Io. Baptiſtæ, conſtituitur in majori illius ſanctitate, de qua tamen nullam habemus certitudinem, tùm quia deeſt auctoritas Scripturæ, tùm quià non concurrit Eccleſiæ traditio, quo circà Suarez, qui primus docuit, S.Ioſeph majorem gratiam obtinuiſſe S. Ioanne Baptiſta, ſubdit

tantummodò id eſſe probabile, ſed non certum. En verba ejuſdem in tertiam partem Diui Thomæ *tom.2.diſp.8.ſect.2.pag.85.colum.1.in fine* = *Nihilominùs tamen cordati, ac prudentis hominis eſſe exiſtimo nihil temere, aut nimiùm aſſeuerantèr affirmare, quià re vera vbi deeſt Scripturæ auctoritas, aut Eccleſiæ traditio, nulla poteſt eſſe ſufficiens certitudo, in re præſertim ex diuina electione, ac prædeſtinatione pendente, cuius conſilia inſcrutabilia ſunt, & abditiſſima Myſteria*. Tertiò, quià per hanc ſemitam procedendo, tanquàm certum admitteretur Eccleſiam in Litanijs ordinem deducere à maiori, vel minori ſanctitate Sanctorum, quæ res periculoſa videtur; quis enim eſt, qui ſeclusa reuelatione diuina, dicere poſſit S.Antonium maiorem fuiſſe ſanctitate S.Benedicto, vel S. Agatham maiorem fuiſſe ſanctitate S.Lucia, & ſic de cœteris. Quartò, quià quatenùs in Litanijs admittendus eſſet ordo temporis, quo Sancti mortui ſunt, hinc tamen nunquàm ſequitur, Sanctum Ioſeph eſſe S.Io. Baptiſtæ præponendum, incerta quippe ſunt omnia, quæ de die, & tempore obitus S.Ioſeph aſſeruntur, nec deſunt Eccleſiæ Patres, qui exiſtimant illum in Domini Paſſione ſuperſtitem fuiſſe, & ſunt S.Cyprianus *in ſermone de Paſſione*, & Auctor *inter illius Opera de Virtutibus Cardinalibus*. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus *homil.5.in Matth.& homil.3.in acta Apoſtolorum*. S.Ambroſius *lib.1. cap.10. in Lucam, & de Inſtituto Virginum cap.6. & 7. & Epiſt.79.* Sanctus Auguſtinus *Serm. 81. de tempore*, & Arnoldus Abbas *de Laudibus Virginis Mariæ*; Quintò tandem, & vltimo, quià ſi Sanctus Ioſeph præponeretur S.Ioanni Baptiſtæ, & vnus, & alter eſſent in claſſe Patriarcharum, & Prophetarum, in hac claſſe Confeſſor Martyri præponeretur, quod non videtur admittendum, citra ſiquidem omnem difficultatem S.Ioſeph eſt Confeſſor, quando è contrà indubitatum eſſe videtur S. Ioannem Baptiſtam Martyrem fuiſſe, adeoque de illo inquit S. Auguſtinus *Coment.in Pſal.140. in fin.* =*Pro lege veritatis, pro æqualitate, pro iuſtitia, ideò Sanctus, & ideò Martyr*, & ſequitur Sanctus Gregorius *reſponſ. ad 6. Auguſtini interrogationem* = *Capite truncatus eſt, & Sancto Martyrio coronatus*; Neque diſſentit S.Eulogius Cordubenſis *lib. 1. Memorialis Sanctorum*, quod habetur *tom.9.Bibliotecæ Patrum=Cum Regem iniquum de ſtupro Herodiadis commoneret, in ergaſtulo propter veritatis confeſſionem detruditur, ibique abſque vlla Fidei perſequutione truncatur, nec tali recuſauit ſuccumbere diſpendio, quià ſinè dubio nouerat Diuino reuelante ſpiritu, tantumdem eſſe propter iuſtitiam mori, quàm pro Fidei profeſſione proſterni*, ad rationem ſiquidem Martyrij, idem eſt mori pro Fide, ac pro operibus virtutum, ſecundum quod referuntur in Deum, iuxtà doctrinam Diui Thomæ 2.2. *quæſt.124.artic.5.per tot.* vbi in reſponſione ad 5. hæc habet; = *Nam in Eccleſia Beati Ioannis Baptiſtæ Martyrium celebratur, qui non pro neganda Fide, ſed pro reprehenſione adulterij, mortem ſuſtinuit*, & de eodem Martyrio S. Ioannis loquendo, latè proſequuntur Abulenſis *tom.4.in Matth.cap.14 qu.41.*

Sua-

Suarez *in tertiam partem Diui Thomæ quæſt.* 28. *artic.* 1. *diſputat.* 24. §. *Poſtremò Martyrem fuiſſe Ioannem*, Cornelius à Lapide *commentar. in Eccleſ. ad cap.* 4. *ſect.* 33.

19. Poſt hæc operæ pretium eſt ſermonem facere de alio loco, quem diximus aſſignari poſſe in Litanijs S. Ioſepho, & eſt primus inter Confeſſores. Non eſt hæc opinio improbabilis, habet enim Eccleſia S. Ioſeph in claſſe Confeſſorum, eumque tamquam Confeſſorem veneratur, vt ex Martyrologijs, Miſſalibus, atque Breuiarijs colligitur. Cumque Illuſtriſſimus Fontaninus Cubicularius Honoris SS. D. Noſtri Vir præ ſua eruditione vbique notiſſimus, antiquum habeat in ſua Bibliotheca Breuiarium manuſcriptum in membrana, & antè illud regiſtrata ſint Kalendaria ad vſum Eccleſiarum Florentinæ, Aquileienſis, & Parentinæ, illaque recognouerim, non habet in eis Sanctus Ioſeph alium titulum, quàm Confeſſoris, idque efficere poſſe videtur, vt nomen illius, quatenùs reponendum ſit in Litanijs, primo reponatur loco inter Confeſſores; Eoque fortiùs cum ità expreſsè docuerit Iſidorus ille de Iſolanis ſuprà citatus in ſua *Summa de Donis S. Ioſeph cap.* 7. *part.* 4. *pag.* 96. ibi= *His idem rationibus nullo modò conticendum in Litanijs eſt nomen eius, ſed Ioſeph in Sanctorum ordine Confeſſorum primus nominandus eſt non enim fas eſſe videtur, vt inferiorem obtineat locum, cui Saluator ſupra ſe locum conceſſit. Neque ſubijci debet nomen illius alteri, cui Chriſtus ipſe ſe ſubiecit: Etenim propter Chriſtum, ac Beatiſſimam Virginem Matrem, omnis honor Ioſeph exhibitus praclariſſimus, atque digniſſimus eſſe debet*; Non omiſſo, quod ſi nomen S. Ioſeph non ponitur in claſſe Confeſſorum de neceſſitate iuxtà tertiam ſententiam recenſendus eſt in claſſe Patriarcharum, & Prophetarum immediatè poſt S. Ioannem Baptiſtam, quæ res non ſatis congrua videtur, tùm quià S. Ioſeph non eſt Patriarca, tùm quià pertinet ad nouum Teſtamentum, & nemo eſt qui in nouo Teſtamento præcedere debeat Apoſtolis, vt in puncto argumentatur Guyet *de Feſtis proprijs Sanctorum lib.* 2. *cap.* 7. *queſt.* 4. = *Prophetas omninò compellandos Ioannem Baptiſtam, clauſulam legis, ac Prophetarum à Tertulliano dictum, chorique huius Ducem, ac Magiſtrum, itemq; Zachariam, & Eliſabettham, Parentes eius Sanctiſſimos, ſicut, & Simeonem Senem, & Annam Prophetiſſam probant, vel ipſa de ſingulis elogia in Euangelio poſita. Indè tamen duo nolim, vt eu arguas: Primum pertinere illos ad vetus Teſtamentum, de S. Ioanne expreſsè negat Sanctus Thomas. Secundum ſi fortè in Litanijs inſerantur, iungendos eſſe protinùs poſt Ioannem Baptiſtam antè Apoſtolos. Cùm enim ad gratiam noui Teſtamenti pertineant, nullatenùs Apoſtolis præmitti debent. Idemque eſto iudicium de SS. Ioachimo, & Anna, ipſoque Ioſepho Beata Virginis Sponſo, quibus nec Patriarcha titulus, nec locus antè Apoſtolos vlla ratione eſt tribuendus, quidquid ſecùs tentauerint deuoti, recentiores aliqui.*

20. Opinio hæc reponendi nomen S. Ioſeph in claſſe Confeſſorum non

eſt

eſt reuera improbabilis, cum illam rationes, & auctoritates propugnent. Verùm illam retinendam non eſſe, aut amplectendam cenſerem; aduerſatur enim praxi Eccleſiæ, quæ vti ſæpè diximus non ſolùm in Litanijs Patrum Prædicatorum,ſed etiam in Litanijs antiquioribus, & in alijs, quæ deſeruiunt pro Aquæ benedictione inuocat S.Ioſeph, ſed illius nomen non recenſet inter Confeſſores. Ducto ergò argumento à partium enumeratione, tutior eſſe mihi videtur ſententia, quæ authumat nomen S. Ioſephi nominandum eſſe in Litanijs immediatè poſt S. Ioannem Baptiſtam,& præſertim cum hic ordo nominandi habeatur in Litanijs Patrum Prædicatorum, habitus fuerit antiquioribus temporibus in Litanijs Maioribus Vniuerſalis Eccleſiæ, idemque conſeruetur in Litanijs inſertis in Rituali Romano pro Aquæ benedictione, vti deſumitur ex Miſſalibus, & Ritualibus ſupra recenſitis; & abſona profectò res eſſet, ſi nomen Sancti Ioſeph, quod antiquitùs in Litanijs Maioribus inuocabatur immediatè poſt Sanctum Ioannem Baptiſtam, & hodiè etiam ità nominatur, non tàm in Litanijs Patrum Prædicatorum, quàm in alijs pro Aquæ benedictione in Rituali Romano appoſitis, in Litanijs Maioribus iterùm reponeretur, ſed non ampliùs immediatè poſt S.Ioannem Baptiſtam,ſed in claſſe Confeſſorum.

21. Abſque eo quod quidquam faciat, quod Sanctus Ioſeph Confeſſor vocatur in Martyrologijs, & quod ab Eccleſia in Kalendarijs, & Breuiario colitur tamquam Confeſſor; Quandoquidem non valet argumentum à Breuiario, & Officijs ad Litanias; in Litanijs ſiquidem habemus claſſem Patriarcharum, & Prophetarum,in qua Sanctus Ioſeph reponi poteſt;at in Breuiarijs,&Officijs non habent Sancti Euangelici,in quorum numero eſt Sanctus Ioſeph, niſi commune,vel vnius vel plurimorum Martyrum, vel Confeſſoris Pontificis, vel non Pontificis, teſte ipſo Guyet.*de Feſtis proprijs Sanctorum libr.3. capit.16. quæſt.5.* ibi = *quorum Sanctorum in quatuor Euangeliorum libris mentio fit cum laude, ij meritò appellari poſſunt Euangelici. Sunt autem eiuſmodi pratèr Beatiſſimam Virginem Deiparam, eiuſque Sponſum Caſtiſſimum S.Ioſephum &c.De his ergo omnibus commune aliud non datur quam quod in Breuiario poſitum eſt vnius, vel plurimorum Martyrum, Confeſſoris Pontificis, vel non Pontificis, pro cuiuſque ſtatu, ac conditione, vt clarum eſt exemplis Sancti Ioſephi, Sanctæ Mariæ Magdalenæ &c.*quod ipſum repetit *libr.3. cap.23. quæſt.7.*, hoc autem ſtante, clariſſimè colligi poteſt,hęc duo non eſſe incompatibilia,Sanctum videlicèt Ioſeph in Officio coli tamquam Confeſſorem, eiuſq; nomen reponi in Litanijs in claſſe Prophetarum, & Patriarcharum immediatè poſt S.Io:Baptiſtam.

22. Maioris roboris non eſt, quod nominatio Sancti Ioſeph immediatè poſt S.Ioannem Baptiſtam ſit deuotioni quorundam recentiorum adſcribenda, iuxtà ea, quæ in ſuperioribus ex Guyeto deducta ſunt; vt enim, ſupra probatum fuit, ordo hic retentus fuit vſque ab anno

1551.

1551. in Litanijs Patrum Prædicatorum, & in Litanijs Maioribus Vniuerſalis Eccleſiæ vſque ab anno 1541. in quo rerum ſtatu nemo eſt, qui non videat nullatenus ſubſiſtere, methodum hanc eſſe recentioribus adſcribendam, eoque fortiùs, cùm hic idem ordo habeatur in Litanijs prò aquæ benedictione inſertis in Rituali Romano, quæ res auertit quamcumque nouitatis ſuſpicionem.

23. Ad partes poſito, quod Sanctus Ioſeph præcederet Apoſtolis; prætermiſſo quippè quod munus, & officium Sancti Ioſeph Apoſtolico muneri præferendum eſſe videtur, iuxtà ea, quæ latè docet Suarez *in tertiam partem Diui Thomæ tom. 2. diſput. 8. ſect. prima = Iam verò officium hoc cum alijs conferendo dubitari poteſt, an hæc dignitas maior ſit quam dignitas Præcurſoris, vel Apoſtolorum, aut Euangeliſtarum, quod ad munus, & officium attinet &c. ratio dubitandi eſſe poteſt quia hoc miniſterium Ioſephi videtur fuiſſe proximè coniunctum cum ipſamet Chriſti perſona; item videtur maximè acceſſiſſe ad dignitatem matris Dei, item videtur fuiſſe aptiſſimum ad perfectiùs exercendas omnes actiones vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quam vllum aliud munus puræ Creaturæ ſola Dei Matre excepta &c.*, & paulo poſt = *In hac comparatione, quam à nemine video ſatis eſſe diſcuſſam, at declaratam, nihil temere affirmare valeo; probabilitèr tamen dici poſſet, hæc munera eſſe quodammodo diuerſorum ordinum, & ideo non poſſe tàm propriè comparari, habere tamen ſe mutuo ſicut excedens, & exceſſum; Scio equidem Apoſtolicum munus eſſe ſupremum omnium eorum, quæ in Eccleſia Chriſti, prout ab eo in lege gratiæ inſtituta eſt, inueniuntur, vt Anſelmus, & Diuus Thomas expreſsè docuerunt, & teſtimonia, & rationes facta probant; Nihilominus tamen non exiſtimo improbabile, munus, ſeù Miniſterium Sancti Ioſeph, quatenùs quodammodo eſt altioris ordinis poſſe dici perfectius, intelligo enim quædam eſſe Miniſteria præcise pertinentia ad ordinem gratiæ gratum facientis, & in hoc ordine intelligo Apoſtolos habuiſſe ſupremum dignitatis faſtigium, & indiguiſſe fortaſſe pluribus gratiæ præſertim gratis datæ, & ſapientiæ donis quam reliquos. Alia verò ſunt miniſteria, quæ attingunt ordinem Vnionis hypoſtaticæ, qui ex ſuo genere perfectior eſt, vt de dignitate Matris Dei ſupradiximus, & in hoc ordine intelligo conſtitutum eſſe Miniſterium Sancti Ioſeph, & eſſe veluti in infimo gradu illius, & in hac parte excedere reliqua tamquam in ſuperiori ordine exiſtens*; quandoquidem hæc, & ſimilia tuta vndequaque dici non poſſunt, & ſic deſeruire nequeunt niſi fortè prò Concionatoribus, nullatenùs autem, vel pro regulandis Officijs diuinis, vel pro loco in Litanijs præfigendo, vt in puncto explicando allegatam Doctrinam Suarez perpendit Guyet. *de Feſtis proprijs Sanctor. lib. 4. cap. 13. qu. 5.* ibi = *Et verò valeat Suarij docta non minùs, quam pia in gratiam Sponſi Sanctiſſimi Genitricis Dei Mariæ argumentatio, ſitque verè Ioſeph Apoſtolis, vt Sanctitate, ſic, & gloria, non impar; Subſcribam ego eius opinioni, nec inuitus inter concionandum profitebor, at non eſt priua-*

ti

ti cuiuſquam ius illud, de quo agimus præferentia in Diuinis officijs ei tribuere, niſi accedente Eccleſiæ auctoritate legitima, vis ſtat in hoc quod Sanctus Ioannes Baptiſta pertinet ad nouum Teſtamentum, vti prætèr ſupra deducta expreſsè docet Diuus Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt.* 174. *artic.*.4. ad tertium ibi = *ad tertium dicendum quod Ioannes pertinet ad nouum Teſtamentum, cuius Miniſtri præferuntur etiam ipſi Moiſi, quaſi magis reuelatè ſpeculantes*; Cumque in Litanijs S. Ioannes Baptiſta præferatur Apoſtolis, nouum idcircò non eſt, vt prælatio competat alicui ad nouum Teſtamentum pertinenti comparatiuè ad ipſos Apoſtolos, & hoc vel quia eſt in claſſe Patriarcharum, vel Prophetarum, vel quia ante dictos Apoſtolos mortuus eſt, quæ omnia ſicutì non minùs conueniunt Sancto Ioanni Baptiſtæ, quàm Sancto Ioſepho, ità efficiunt, vt ſicut ille præfertur Apoſtolis in Litanijs, ità huic eadem prælatio in Litanijs concedenda ſit; abſque eo quod in eo quod attinet ad S. Io: Baptiſtam recurſus haberi poſſit ad illud Matth. *cap.* 11. *non ſurrexit inter natos mulierũ Maior Io: Baptiſta*, cum enim hoc intelligatur quoad Sanctos veteris Teſtamenti, nèc Chriſtum Dominum conſequentèr nèc Beatiſſimam Virginem, nèc Sanctos Apoſtolos comprehendit, vtì ad rem argumentatur Maldonat. *in Matth. cap.* 11. *loco ſupra citat.* = *Breuiter igitur, & facile reſpondeo Ioannem non cum omnibus, ſed cum ſolis Sanctis Veteris Teſtamenti comparari, at Chriſtus, & eius Mater omneſque Apoſtoli ad nouum pertinent Teſtamentum*; & ſequitur Cornelius à Lapide *in eundem locum Matth. pag.* 244. = *Non ergo Ioannes hic comparatur cum Chriſto Beata Virgine, vel Apoſtolis, qui Chriſtum ſequuti ſunt, & ob dignitatem Apoſtolicam Ioanne non fuiſſe Minores, ſed potiùs Maiores.*

24. Parùm vrgente quod Sanctus Ioſeph non eſt Patriarcha; quandoquidèm Patriarcha dicì poteſt, & ſimul, & ſemel Propheta, quamuìs ad effectum, de quo agitur, ſatis eſſet, vt Patriarcha, vel Propheta dici poſſet; quod autèm S. Ioſeph dici valeat Patriarca, comprobatur, cum Patriarchæ iuxtà Sanctos Patres; & antiquos recenteſquè Scriptores, fuerint illi, qui totidem familiarum Protoparentes extiterunt, quibus Dei Populus conſtabat, vtì latè oſtendit Celada *de benedict. Patriarch. in præfat. num.* 2. Cumquè S. Ioſeph fuerit Pater Putatiuus Chriſti Domini Noſtri, qui Prędeſtinatorum, & Electorum Caput eſt, hac de cauſa nomen Patriarchæ iure merito Sancto Ioſeph attribuitur, & hoc eodem nomine ipſe compellatur à pleriſquè Scriptoribus, hìc inutilitèr non congerendis; quod verò ille dici poſſit etiam Propheta deſumitur ex allegato *cap.* 1. Euangelij S. Matthei = *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens, Ioſeph filij Dauid noli timere, accipere Mariam Coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet Populum ſuum à peccatis eorum*, adeoquè ad rem ſubdit Iſidorus de Iſolanis *in ſua Sum-*

Summa de Donis S. Ioſeph part.3. cap.18. = Enim verò Prophetarum tres ſunt proprietates; Superior illuminatio,non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia ,ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines, Scripturarum interpretatio, occultorum propalatio, vnde etiàm Prophetæ dicuntur,quaſi à ſenſibus occulta loquentes; Et hæc tria euenere Prophetis in lumine adumbrato , & in figuris , etiam enigmatibus, Ioſeph verò lumine Angelico illuſtrante, clariùs Supremum cognouit Miſterium filij Dei,quod omnium paritèr eſt Prophetarum finis . Quo cognito Sacrarum Litterarum ſenſus abditiſſimos intellexit profundiſſimè, ſategitquè, vt ipſe Miſterium oportuno tempore toti manifeſtaretur Orbi , eundem filium educando pluribuſquè proſequitur Perez *in ſua Lapidicina Sacra tract.ſect.20.num.250.*, quod deniquè ad effectum , de quo agitur ſatis ſit vt Sanctus Ioſeph fuerit, vel Patriarca , vel Propheta , ponitur in claris , cum hic , & nùnc de hac re tractetur non ad alium finem , quàm vt reponi poſſit illius nomen in Litanijs , & in Claſſe Patriarcharum , & Prophetarum ; In qua facti ſpecie neceſſe non eſt , vt ipſe vtraquè prӕditus fuerit qualitate , Patriarchӕ videlicet , & Prophetӕ , ſed altera ex his eſt tantummodo neceſſaria;Exemplo deducto ab ijſdem Litanijs Maioribus in quibus videmus Sanctam Mariam Magdalenam recenſeri in Claſſe Virginum , & Viduarum , licèt Virgo non fuerit, ſed Coniugata , & ſubſequentèr Vidua,vti cenſet Auctor Commentariorum in Sanctum Marcum apud Sanctum Hieronymum *cap.15. verſ.40.*, & ſequuntur Ianſenius, Franciſcus Lucas , Cornelius à Lapide , cęteriquè *in commentar. ad cap.8. S.Lucӕ* , quӕ omnia tamèn ad ſuperabundantiam dicta cenſeri debent , quia ſi Sanctus Ioſeph in Litanijs Patrum Prӕdicatorum , in antiquioribus Litanijs vniuerſalis Eccleſiӕ , & in Litanijs inſertis in Rituali Romano pro aquӕ benedictione eſt immediatè poſitus poſt Sanctum Ioannem Baptiſtam , & ſic cum prӕferentia quoad Apoſtolos , & in Claſſe Patriarcharum , & Prophetarum , ab hac Eccleſiӕ praxi ſublata dici debet quӕlibet difficultas, niſi alitèr videatur huic Sacrӕ Congregationi, vel Sanctiſſimo Domino Noſtro, quorum Supremo Iudicio hùc vſque Scripta humillimè ſubijciuntur.

Atquè hӕc dicta ſint ſub cenſura ſalua ſemper &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Proſper de Lambertinis Sacri Conſiſtorij Aduocatus, & Fidei Promotor.

Digitized by Google